DE RHACHITIDE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD MEDICINAE...

Giacomo Cecilio De Vico

DE

RHACHITIDE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM

RITE ASSEQUENDAM

PROPONIT

JACOBUS CAECILIUS DE-VICO

VICETINUS E CIVITACULA

PATAVII

TYPIS SEMINARII

1846

AMICO CHARISSIMO

BERNARDO RIZZON

SACERDOTI

IN ECCLESIA CARMELITARUM PATAVINA

PAROCHI VICEM GERENTI

PIETATE ET BENEFICENTIA INSIGNI

QUI TOT ANNOS

JUVENES EGENOS IMPENSIS ALUIT

CONSILIO JUVIT EXEMPLO INSTITUIT

GRATI ANIMI ERGO

HAUD IGNARUS MAJORA MERUISSE

SI VIRES TULISSENT

HOC TENUE OPUS AUCTOR

D. D. D.

DE

RHACHITIDE

Rhachitis morbus medio fere labente saeculo XVII a medicis britannicis examinatus, ubi primum incepit, ab aliquo graecarum literarum perito hoc nomen obtinuit a ῥάχις (spina dorsi) (quae in hoc morbo toties deformatur miserrime atque in ipsis jam morbi primordiis solitum saepe, quo truncus corporis in situ imprimis erecto sustinetur, robur amittit) deductum, morbum spinae dorsi designans; notabilem simul conditionem morbi comprehendit

Historia

Neminem latet medicorum, morbum illum, quem *rhachitidem* nominavimus, antiquioribus quoque notum fuisse, quemadmodum auctores omnes tum veteris tum recentioris aevi clarissime testantur. Rationi consentaneum re vera videbatur, quod quo minus temporibus elapsis morbus hujusmodi grassabatur, eo magis nunc et praesertim saeculo praeterlapso saeviret, ut nulla

detur, ni fallor, in praesentiarum regio, ubi plus minusve morbus ille se se manifestet, individua deformia, ne dicam monstruosa, nobis ubique offerendo. Nec mirandum est si temporibus elapsis medici morbum huoc parvi fecerint, rarius enim evolvebatur; ideoque nec clarae nec prolixae ejus apud veteres reperiuntur descriptiones. Quod raro rhachitis tum evolveretur, hoc profecto accidit ob simplicea non tantum mores populares, sed potius ex eo quod tunc temporia syphilis non adeo frequens dominabatur, ut nostra cernitur aetate.

Saeculo XVII morbus hic in Anglia gravior ac per haereditatem etiam crebrior factus medicorum oculos studiaque in se convertit; et primum a Glisson accuratissime descriptus fuit.

Variae sunt rhachitidis apud varios auctores definitiones. Nonnullas juvat hic exponere. Buchner hanc definitionem protulit: «Rhachitis est morbus sub quo articulares ossium processus intument, ipsaque ossa incurvantur, et dorsi spina ex naturali suo situ distorquetur».

Petrus Frank: «Rhachitis morbus plerumque infantilis est, in quo caput et ossium processus articulares tument, ossa vero intermedia incurvantur, spina dorsi ex situ suo distorquetur, abdomen tumet cum reliqui corporis contabescentia». Ex quibus satis patet, quam imperfecta habeatur de hoc morbo cognitio; imo enarratae definitiones sunt potius breves e symptoma-

tibus morbi concinnatae descriptiones quam verae definitiones.

Dividunt auctores, praeeunte clar. Brüchner, rhachitidem in imperfectam et perfectam; imperfecta exordium morbi needum omnia sibi solemnia symptomata exerens; perfecta syndromen symptomatum rhachiticorum complectitur. Divisio haec therapiae gradum et prognosin determinat. Eamdem divisionem eximius Glisson proposuit. Dividitur porro rhachitis in congenitam et adquisitam.

Nosographia

In morbi descriptione praelaudati Brüchner ordinem sequutus, juxta duplicem morbi stadium, nimirum prouti de imperfecta aut perfecta rhachitide agitur, symptomata exponere in animo mihi est.

Sequentia igitur prodroma adnotantur.

Puer ab initio tristis fit, melancholicus atque piger, vultus amittit hilaritatem viresque suas, quietem praediligit, nec firme pedibus sistere valet; proinde omnes illius corporis musculos invadit relaxatio insolita atque torpor; vultus aegri pallet atque tumet; physiognomia hominis jam senescentis formas praesefert, atque maxime adest cuilibet motui ac exercitio adversatio. Caput sensim sensimque volumine augetur et in humeros vel in pectus nititur speciatim dum aeger considet. Dentes praeterea tardius adparent, citiusque carie

corripiuntur atque exinde concidunt; ex ore magna salivae copia fluit: respiratio aliquantulum debilis anxia redditur et frequens: vox gracilis et rauca fit; tumet abdomen praesertim prope regionem hypochondriacam dexteram: functiones insuper tubi gastro-enterici perturbantur; etenim et ructus evolvuntur acidi; praeterea alvus irregularis redditur, mox scilicet obstipa, mox in diarrhoeam prona; urinae sedimentum mucosum referunt et acidum emittunt odorem: vexatur puer a continua et imperiosa ciborum appetentia: abdomen semper in tumorem est elatus ob glandularum mesenterii infarctum: saepe helminthiasis comes fit. Generalis et progressiva accedit emaciatio; facultates intellectuales praemature evolvuntur.

Haec sunt phaenomena quae rhachitidem imperfectam comitari solent

Sub progressu morbi cuncta quae recensita fuere symptomata majorem pedetentim evolutionem adquirunt; eoque tandem perveniunt, ut ipsum systema osseum profunde adficiatur. Volumen capitis majus adhuc redditur, ejusdemque gravitas ita augetur, ut comparari possit cum illa, quae ex hydrocephali adfectione insurgit; antrorsum et ad latera distenditur regio sincipitalis, ut fontanellae atque suturae apertae videantur Thorax quoad figuram suam magnopere vitiatur. Sternum exterius elevatum, interdum figura et longitudine normali, alias breve est ac fornicatum; ita ut conspicuus emineat gibbus: in scrobiculo cordis profunda re-

peritur fovea, et cartilago ensiformis extrorsum propulsa; curvantur claviculae, costae deprimuntur, et columna vertebralis ob apophysium inflammationem a situ aberrat; modo anteriorem, posteriorem modo atque interdum lateralem directionem assumendo (cyphosis, scoliosis, lordosis). Pelvis ipsa suos haud servat regulares diametros; artus tum superiores tum inferiores flectuntur, ita ut aegrotans pedibus sistere nequeat; et tali pacto miserrimus ille dies continuo stratus ducere cogitur. Progrediente hac ratione thoracis conformatione vitiata, pulmonibus et vasis majoribus quaquaversum compressis, respiratio fit anxia, frequens, difficilis atque asthmatica; tussis accedit cum sputis ereentis aut mucosis, cardiopalmus, pulsus irregularis. In abdomine enfiato huc illuc indurationes percipiuntur; utrumque hypochondrium magnum adquirit volumen.

Serius accedit ossium caries et febricula lenta depascens, hydropes, convulsiones, deliquia, amblyopia, marasmus, diarrhoea incoercibilis, hydrocephalus, phthisis, vel tandem sub labente virium vitalium actione tabes infantes consumit

Si morbus, mutatis rebus externis, in salutem vergit, tunc ossa pedetentim naturalem adquirunt soliditatem; abdomen nec tumet nec dolet, digestio regulariter efficitur et nutritio ad normam restituitur

Aetiologia

Hujus morbi causae duplicem in seriem a medicis omnibus dividuntur; in causas nimirum *remotas* et *proximas*.

Causa proxima rhachitidis haetenus ignoratur; imo celebrium medicorum in hoc opere, inde a duobus saeculis, studia conjecturas solum et hypotheses tulerunt plus minusve veritati accedentes.

Sunt qui anatomico-pathologicis observationibus innixi, quemadmodum Booz, Arnold, causam rhachitidis proximam hepati haerere existimabant.

Eximius Boerhaawe ita inquit: « Causa proxima rhachitidis est cacochymia iners, mucosa, frigida, vappida, latente fors leni labe venerea permixta cum laxa partium firmarum fabrica ».

Astruc vero in sua de morbis venereis pertractatione causam invenit in contagii venerei praesentia: Glisson in spirituum vitalium retentione: hae tamen veterum medicorum opiniones jure meritoque a recentioribus oblivioni tradebantur; qui rhachitidem admittere non dubitarunt a cachexia quadam pueris a lactis aciditate illata procedentem; cujus quidem opinionis Zeviani praeprimis fuit in sua de cura puerorum rhachitide laborantium tractatu.

Quamplures alii rerum medicarum scriptores, inter quos Cullen et Raymann verisimile esse putarunt rha-

ebitidem ex defectu ejus materiei oriri, ex qua solidae corporis partes effinguntur: adparet id, dixit ille, ex vitiis ossificationis provenientibus ex defectu materiae ad membranas in ossa permutandas deferendae, atque excessu alterius materiei magnitudinem ossium ac praecipue epiphysium augentis; qui defectus a vitiis digestionis omnino dependet. Bosquillon et Rachetti causam proximam rhachitidis in systematis nervei morboso influxu reposuerunt.

Aliqui chemiae organicae cultores in analyticis ossium experimentis defectum phosphatis calcis invenerunt; quapropter causam proximam morbi ibi reposuerunt.

Sömmering atque Heine causam rhachitidis in adaucta vasorum absorbentium actione invenire autumarunt; unde, ad eorum mentem, et emaciatio aegrotantis et osteomalacia originem sumunt. Clarissimus denique Lapelletier in abnormi vasorum lymphaticorum actione causam proximam rhachitidis reposuit; etenim, inquit ille, mox primitive, mox secundarie aliquam conditionem irritativo-phlogisticam subdole determinant elementa heterogenea in organis chylopoëticis efformata; quae a vasis lymphaticis recepta ipsisque non idonea reactionem determinant; unde priora habentur in tramite intestinali nec non in glandulis lymphaticis symptomata. Ceterae adfectiones nil aliud sunt nisi effectus perturbatae lymphae atque sanguinis conditionis, qua ex causa elementa heterogenea atque irritan-

tia organis adferuntur. Nil mirandum idcirco si rhachitis cum scrofula communes habeat exitus; ita ut jure meritoque veluti ejus altior gradus haberi mereatur.

Nosogenia tali modo exposita adamussim comprobat cur et ossa emolliescant et glandulae infarctu laborent, denique hydropes facili modo sequantur.

Causae remotae rhachitidis

Disponunt ad rhachitidem causae sequentes *Haereditas*, cujus influxum in hoc morbo ingenerando primus omnium clarissimus Störk elucubravit, numerosis innixus observationibus.

Parentes constitutionis debilioris, molli otio languidam vitam trahentes, vix corpus moventes, quos lauta mensa quotidie invitat, ut ultra satietatem manducent, similem praeparant generationem. Inde Glisson generosorum praecipue cunas rhachitide infestari statuit. Ast et ii quos labor exhaurit resque domi premit angusta, non meliorem valent generationi impendere succum. Parentes cachectici, morbis chronicis exhausti, ut arthritici, scorbutici, phthisici, scrofulosi, venerei, homines senio confecti, languidas generant proles in rhachitidem frequenter dispositas. Medorrhoeam simplicem quoque parentum, quae laxitatem solidorum, humorumque mucosam indolem pro causa agnoscit, rhachitidi prolium favere, celeber Störk egregie reflectit.

Aetas. Rhachitis raro est connatus infantibus mor-

bus, nec facile ante nonum aetatis mensem vix unquam post biennium vitae invadit, sed spatio hoc medio frequens accidit. Congenitam rhachitidem dari (id est, qua foetus jam in utero materno afficitur, et quam secum evolutam in mundum fert) Boerhaawe aliique negarunt; sunt autem scriptorum observata, quae hypothesim illorum refutant, et contrarium probant: revera in ipso Lapelletier opusculo istiusmodi casus plures leguntur, qui sufficiunt ad demonstrandum, quod foetus jam in utero matris rhachitide corripi potest. Attamen hi casus raro observantur.

Frequentior autem est rhachitis eo tempore, quo natura ossium praecipue evolutioni intenta dentes producit, ossaque extremitatum inferiorum pro futura ambulatione firmat; hinc plerumque post sextum, saepissime vero inter nonum et vigesimumquartum mensem tempora intermedio. Post biennium vix unquam invadit rhachitis; in adultis raro vera rhachitis obviam venit.

Uterque sexus rhachitide corripi potest; tamen frequentius in foeminis quam in maribus contingit.

Inter causas excitantes enumerantur:

a) Prava nutrimentorum qualitas: neonati infantes passim solo lacte ex uberibus ducto vivunt; si igitur victum praebeat infanti nutrix, in qua similis vitia occurrunt, quae supra in parentibus arguimus, facile pessimum hoc malum accersebitur. Saepe tempus ablactandi jam adest, dum prava nutrimentorum indoles,

rhachitidi excitandae favet. Hoc faciunt omnia nutrimenta aetati viribusque infantum non adcommodata; hinc lactatio ultra quam par est protracta; nutrimenta acescentia, tepida, aquosa, farinosa, pultes lacticinae, saccharatae; praesertim si matres sollicitae quemvis infantis ejulatum simili nutrimento sedare tentant; plebs quae fructibus cruda, difficulter digerendis, pane immodico, pinguibus substantiis, miseros infarcit infantes. Omnia haec actionem viscerum primae assimilationis infringunt, relaxant, gluten adcumulant, glandulas meseraicas infarciunt et reproductionis universae opus pervertunt.

b) Aer humidus et depressus. Inde loca maritima paludosa, pluviis imbribusque frequentioribus obnoxia: similiter aedes juxta ripas fluminum majorum, juxta stagna et piscinas extructae culpantur. Hinc in Anglia, Hollandia, partibus quibusdam Galliae et Germaniae fere endemice grassatur.

c) Evolutio physiologica turbata. Hoc sub respectu dentitio morbose procedens criminari solet, etenim ab illa interdum germina erumpentis rhachitidis incipiunt; inde Büchner de rhachitide inquit: «Morbus, quem nos quidem non aliter quam a dente ortum observavimus, dentitio ergo ipsa nobis causa esse videtur, quae in subjecto per alias causas dispositio rhachitidem determinet».

d) Motus corporis defectus. Quoad hunc praecipue culpatur mos ille, quo matres plebejae proles suas, nu-

dato inferiori corpore, machinulae committunt, cujus omnis ambitus clausus est, ad frigus arcendum a nudis partibus, truncus vero corporis cum extremitatibus superioribus et capite eminet; sicque cistula quasi inclusos per horas relinquunt infantes: revera inferior trunci pars cum artubus inferioribus in vaporibus exhalantibus e corpore infantis, ejusque urina et foecibus maceratur; inde vero exempli, tetre mephitis dispergitur per aerem quem inspirare debent miselli.

e) Morbi varii, qui infantes exhauriunt. Inter hos praecipue censet Boerhaawe febres intermittentes autumnales; refert quoque a scabie, herpete, tinea, variolis, ulceribus suppressis, male curatis, materiem horum morborum ad ossa conversam rhachitidem produxisse

Laesiones cadavericae

Raro sub *imperfecta* rhachitide aegri pereunt, nisi aliqua acuta inflammatio ex causa quacumque gignatur; quo in casu laesione visceris inflammati inveniuntur.

In rhachitide *confirmata* sequentia anatomico-pathologicae investigationes nuperrime institutae tradiderunt. Corporis in longum extensio passim minor quam aetati conveniat; macies summa omnium partium, consuetique mortuorum rigoris loco relaxatio potius adest. Caput praegrande, ossa cranii subtiliora, fontanellae latae, serosa effusio vel in cerebri vel in medullae spinalis

cavitatibus, quae quo majori aut minori in copia aderat, eo major aut minor substantiae cinereae aut medullaris mollities adparebat. Venae jugulares valde sunt extensae, glandulae oesophagi tumidae cernuntur. Pulmones plerumque abnormiter siti, passim in partem posteriorem, corde nudo relicto, retracti, molles, tuberculis redundantes, abscessibus hinc inde repleti, pleurae adcreti: pericardium saepe saepius magnam seri copiam continet; cor mox hypertrophia, mox dilatatione aut malacia laborat; arteriae pallidae. Ventriculus et intestina flatibus distenta, saepe vermibus repleta; glandulae meseraicae tumidae atque materie caseosa obstructae. Omentum adipe destitutum, parvique voluminis, cystifellea plerumque bile non repleta: hepar semper insolitae molis, interdum infarctum, durum, caeruleseens, alias tuberculosa massa detentum: lien pariter volumine jam auctus, jam imminutus, angulosus, durus, scirrhosus. Sub incisione ossa pariter ac cartilagines minorem ac in statu normali duritiem ostendunt, interdum carie detenta: exiles, quam maxime flaccidi et relaxati cernuntur musculi. Textus cellulosus subcutaneus humorem in interstitiis continet serosae indolis Vasa venosa abdominis sanguinem liquatum tenent Hae sunt laesiones quae in cadaveribus rhachitide peremptis inveniuntur.

Exitus et prognosis

Rhachitis sicuti omnes morbi terminari potest in sanitatem et in mortem.

Si morbus primum non praegreditur stadium, si generalis debilitatis aut emaciationis symptomata disparent, si in visceribus abdominalibus, thoracicis aut cerebro-medullaribus profundae non adsint laesiones, spes certa sanationis foveri potest: eo securius vero se promptius, si medela congrua in exordio morbi jam non fuerit neglecta; (sique circumstantiae externae faventes, ex. gr., caeli humidi frigidi in siccum mutatio) accedant.

Non raro rhachitis vitia varia aut morbos post se relinquit, aut per istos in mortem terminatur.

Adultior magisque evoluta, praesertim haereditaria rhachitis, raro perfecte devinci potest; relinquuntur passim deformitates variae, viscerum obstructiones, tubercula pulmonum, dispositio in phthisim, in morbos systematis ossei, puta, in cariem atque spinam ventosam.

In altiori gradu sub infaustis circumstantiis aut prava medendi ratione evoluta rhachitis, in hydrocephalum abit: saepissime vero in peripneumoniam, phthisim, gangraenam, aut hydrothoracem vergit: ob defectum nutritionis tabes ingruit suis cognoscenda signis. Infantes, rhachitidem ex utero matris secum gerentes,

6 2 5

vix non semper moriuntur. Halitus teter, facies hippocratica mortis sunt praenuncii

Therapia

Cum de causis rhachitidem ingenerantibus sermonem habuimus earumque influxum in diathesim fovendam demonstravimus, illud prae oculis posuimus, nimirum quod etiamsi morbus sit jam evolutus, interdum sufficit ad ejus sanationem simplex causarum remotio. Observandum porro est plura et una simul actionia oppositae remedia contra rhachitidem laudata atque tentata fuisse, sed incassum; etenim sub tanto de ejus nosogenia sententiarum discrimine, vix ac ne vix quidem medicis licuit rationalem indicationum therapeuticarum methodum proponere. Ex quo fit, ut de therapia locutus, in primis historiam pharmacorum in hoc morbo exhibitorum a celeberrimis viris exponam; dein quantum fieri potest demonstrabo mox una, mox altera remedia pro stadio morbi, atque eminenti unius alteriusve organi adfectione indicari. Ad curam modo accedendo, haec duplex ad mentem plurimorum ex practicis admittitur, interna scilicet atque externa; quarum prior in pharmaceuticam et diaeteticam subdividitur.

Cathartica atque emetica ad sanandam rhachitidem proposuerunt aliqui: quae omnia in posterum neglecta fuerunt ex eo quod universam reproductionem organicam imminuunt; partim periculo plena dici possent;

etenim unicuique patet emeticorum usum multum adversari in tenera infantum compage atque nisu in haemorragias.

Illi qui rhachitidem ab aciditate primarum viarum procedere autumarunt, hoc per chemica adminicula domandum esse crediderunt: hunc in finem laudata fuit magnesia, sapo medicinalis atque alcalia.

Salutarem hydrargyri usum Galli numerosis observationibus innixi in rhachitide ad sidera extollunt. Ast qui mercurii in organismum humanum vim intelligit non dubitabit valde exaggeratas esse illius laudes contra hunc morbum.

Tanquam remedia fere specifica contra rhachitidem sic dicta roborantia proposita fuerunt; quae, ad clinicorum mentem, laxitati opponuntur: nec desunt qui inter neotericos haec ipsa medicamina eumdem in scopum aegrotantibus exhibent.

Sed quid dicam de nonnullis substantiis, quae tanquam antirhachitieae hodiedum ab empyricis habentur, sive solae, sive cum aliis junctae, unde tot usurpantur formulae compositae? Sic Levret videns usu radicis rubiae tinctorum ossa rubro colore tingi, putavit eum principio colorante roborans quoque ad ossa penetrare sicque istis consolidandis inservire posse; illam radicem cum alcalibus jungit ad eundem finem assequendum. Ut de ceteris sileam, aquae marinae aut thermales in rhachitide sananda nunc temporis adhiberi solent.

Attamen non indiscriminatim una vel alia remedia in omnibus aegrotantibus atque formis, quibus rhachitis se se prodit, adhibentur; etenim juxta duplicem morbi stadium therapia valdopere modificatur

Sub ingruente morbo medico licet infaustas ejus sequelas praevenire; quod fit per auxilia pharmaceutica, diaetetica atque hygieoica.

Generatim dum aliqua labes rhachitica intestina vel glandulas mesenterii adficere minitatur, ex pharmaceutico adparatu eliguntur remedia leviter purgantia, nimirum oleosa, subacida, mucilaginosa, quae statum subphlogisticum tramitis digerentia coercere valent. Optime igitur consilio exhibentur nonnullae doses olei seminum ricini ad helminthiasim, si fortasse adsit. obtruncandam; porro ad decocta tamarindorum, prunorum simul cum sero lactis vaccini: magoesia libenter praescribitur dum symptomata aciditatis primarum viarum obviam veniant: calomel quoque laudatur, dummodo parca manu exhibeatur; namque in infantibus facili modo ptyalismum inducere valet. Non raro sub forma electnarii remedia enarrata a medicis laudantur

Diaeta infantium erit mixta; scilicet ex animalibus atque vegetabilibus substantiis composita: si agitur de neonatis, lactatio nutrici robustae atque temperamento sanguineo praeditae committitur, nec ultra quindecim menses protrahi debet.

Pro potu saepe aqua sufficit vel simplex vel vino remixta, dummodo vero signa irritationis gastro-enteri-

cae omnino absint. Interdum et ipsum vinum cochleatim per diem magnam attulit utilitatem.

Inter auxilia hygienica attentionem sibi vindicat aer, qui siccus et modice calidus requiritur; opposita enim ejus qualitas rhachitidem excitare aut ejus progressum favere valet. In hunc finem domicilia, amictus et lectus rhachiticorum conspirare debent: conclavia purum, siccum et calidiusculum praebeant aerem, vestes siccae sint et calorem foveant.

Motus corporis fiat modicus sub calida et serena tempestate, rure aut in hortis; situs corporis sub motu horizontalis omni alteri praefertur.

Transacta prima morbi periodo, si symptomata osteomalaciae aut infarctus viscerum evoluta sint, ulcumque causam morbi directo modo medicus auferre nequeat, tamen indirecte, sublatis effectibus, ad sanationem relativam aegrum perducet.

Praesente infarctu hepatis aut glandularum meseraicarum, remedia solventia omnem indicationis paginam absolvunt. Inter haec laudantur jodum ejusque praeparata; murias calcis, sodii atque barytae, aquae marinae, decocta nonnulla v. gr. taraxaci, cichorei, saponariae, bardanae, osmundae regalis, sphaerococci confervoides, aliaque plura in scrofulosa labe commendata. Externe prosunt balnea marina, unguenta ex jodo, cicuta, belladonna, nec non praeparatis scillae marinae composita; frictiones siccae cum lana vaporibus baccharum juniperi et olibani imbuta. Porro remedia omnia

prosunt quorum virtus a principio amaro, aut tanino, aut utroque simul junctis, aut his et accedente aromatico, derivantur, non exceptis ferri praeparatis. Inter decocta amara laudantur aliqua ex herbis indigenis confecta, seu gentiana, verbena, trifolio fibrino, marrubio, polygala amara, veronica et aliis. Si tabes meseraica proxime minitetur, usitatissima sunt decocta aut infusa corticis peruviani, glandes quercus et alia, quae principio scytodefico scatent, quibus saepe additur lac vaccinus, ad vim nutrientem adquirendam.

Sublatis vel saltem imminutis viscerum infarctibus, ad ferruginosa lubenter transitus conceditur, quorum connubium enim rheo praestantissimum habetur: horum loco interdum aquae martiales et balnea ipsa hujusmodi lubenter praescribuntur.

Sic indicata pharmaceutica assiduis medicorum in sananda rhachitide studiis detecta absolvimus.

Qnoad diaetetica et hygienica auxilia, id repetatur quod superius exposuimus.

Si denique rhachitismus ad altiorem gradum evectus deformitates relinquit vel in artubus, vel in columna vertebrali, oportet ad chirurgica auxilia confugere, nimirum ad orthopediam, quae nuperrime in Gallia atque Germania tantum sibi comparavil decus. Haec sunt pharmaceutica, diaetetica atque hygienica, quae ad morbum rhachitidum sanandum a medicis antiquioribus atque neotericis remedia celebrata fuerunt.

THESES

******

I.

Lactatio vel parum vel nimis protracta germina rhachitidis parit

II.

Rhachitis nil aliud est nisi scrofula ad altiorem gradum evecta

III

Remedia roborantia in rhachitide curanda non prosunt nisi post usum antiphlogisticorum

IV

Circulationis et respirationis celeritas non semper aequam tenent relationem

V.

Nevralgia a nevritide in praxi distinguenda est.

VI

In diaeteticis majora sunt contra rhachitidem remedia quam in pharmaceuticis.

VII.

Colchici radix vere lecta autumnali praeferenda est

VIII.

Superfoetatio datur etiam in utero simplici.

IX.

Tempestas humido-frigida longe perdurans morbis membranarum mucosarum et febribus typhosis potissimum favet.